



Soli Deo  
Gloria

Hortus Musicus  
recentibus aliquot seculis  
SONATEN.  
ALLEMANDEN.  
CORRANTEN.  
SARBANDEN.  
GARDEN.  
Cum 2. Violin. Viola. & Basso  
continuo, confitus  
a  
JOHANNE ADAMO REINCKEN  
Daventriensi Transjalaro.  
Organi Hamburgensis ad  
S. Cathar. celebratissimi  
Directore.

Perillustri ac Generosissimo  
DÑO JOHANNI ADOLPHO,  
Libero Baroni à Kielmansegg, Sacrae Caesar.  
Majestati à consiliis, et maxime Reverendi  
Capituli Lubecensis spectabili Canonico,  
Patrono summopere Colendo.

PERILLUSTRIS DOMINE,

Jam per aliquot annos, Fautores quidam ac Amici prae ceteris honorandi me sollicitarunt, ut documenta quaedam Musicae Instrumentalis, quam profiteor, divulgarem: Immo vero non tantummodo me sollicitarunt, sed quotidiano prope-modum convitio, id ipsum ut praestarem, efflagitarunt veriti, ne vel inscitiae, vel ignaviae, aut invidiae nomine, si amplius renuerem, a malevolis honestae aliorum famae obtrectatoribus jure meritoque possem accusari. Ego autem meae mihi conscius imbecillitatis, quam modestissime Amicis quidem semper me excusavi haud ignarus, Musicorum hujusmodi Scriptorum magnam ubique terrarum reperiri copiam: Inimicis vero atque iniquis alienae industriae Censoribus his tandem pagellis obturare os impudens volui exspectaturus, quidnam illi de suo vicissim divite penu, divinae arti nostrae sint largituri, quod summum eorum ingenium ac studium perspicacissimis harum rerum judicibus possit commendare. Tibi autem, Perillustris DOMINE, pro tot, tantisque in immeritum plane collatis beneficiis, hoc quidquid est laboris Musici, inscribere atque dedicare sustinui, cum alia ratio Tui colendi, gratumque declarandi animum, mihi non fuerit reliqua. Accipias igitur serena fronte ac animo benevolo haec et templis, et privatis Odéis accommodata artis nostrae specimina, tuoque gravissimo patrocinio, tanquam prudentissimus Arbiter, eadem adversus Theoninos dentes tueri, meque pristino favore prosequi ne dedigneris: ita Te DEUS. O. M. omnemque generosissimam familiam perenni prosperitate cumulabit, id quod ex animo precatur

Hamburgi

Perillustri Nomini  
ac Dignitati tuae,

ad omnem cultum

et studia, devotus

Johannes Adamus Reincken.

## **Benevolo cuivis Lectori, et solerti Musices Cultori, S.**

**E**t si nunquam mihi fuit in animo specimen aliquod artis, quam per annos bene multos, non adeo, quod praefiscine dicam, infeliciter exerceo, typis excussum divulgare; idque ob infinitam partim istiusmodi Scriptorum multitudinem, partim etiam ob sinistra eorum judicia, qui paulum ultra prima progressi rudimenta audacter carpunt, vituperant, immo vero damnant, quae non intelligunt Midae admodum insulsi: tamen certis quibusdam de causis, hoc quaecunque Opusculum tecum nunc communicare sustineo. Et 1. quidem in DEI O. M. honorem, ad quem merito, tanquam ad fontem omnis boni, omnia nostra cogitata, dicta et facta referimus; tum in illorum gratiam, qui rectam, puram et solidam amant atque exosculantur Compositionem. Hi enim magnopere delectantur, quoties vident atque audiunt, quae nativa gaudent origine, certisque nituntur fundamentis: contra non leviter offenduntur, quando incidunt in tot jejuna ac tortuosa deliramenta, quae sine ullo iudicio hinc inde suffurantur, suaque servili prorsus imitatione exprimunt homines, ut mollius dicam, valde inepti dignique propterea, qui ad stivam et rastra ablegentur, atque ex amoenissimo divinae Musices horto, tanquam membra nocentissima, cum infamia expellantur. 2. Eo ipso, commodis ac usibus genuinae Musices amatorum atque aestimatorum inservire volui, quibus si tanta cum voluptate susceptae fuerint hae laborum meorum primitiae, quanta a me offeruntur, uberius easdem messis, Deo volente ac juvante, deinceps subsequetur, quae honestum illorum desiderium, et sitim haud vulgarem, pro virili, explere quodammodo conabitur. 3. Altiora, quam capiunt, spirantibus atque affectantibus, nihilque aliud, nisi meras compositiones, harmonias, fugas, contrapuncta, et quae sunt his similia, crepantibus ac deblaterantibus hoc tanquam speculum proposui, in quo contemplari possint maculas et naevos, quibus ipsi tantum non obsiti sunt; simulque animadvertere, quam sit turpe ac ridiculum, temere de iis ferre sententiam, quae captum nostrum quam longissime excedunt: ut in posterum digito discant labellum, quod Poëta ait, compescere, memores subinde Apellei illius sutoris, qui ob praecipuum nimis iudicium ea, in effigie prae[s]tantissimi pictoris, reprehendendi, quae ratione sua assequi non poterat, cum perpetua ignominia, prudenti adhuc posteritati in ore est. Ingenuis interim ac liberalibus utriusque Musices Cultoribus ea divinitus opto, quae animis et corporibus ipsorum maxime sint salutaria, omni illis affectu et studio addictissimus.

**Johannes Adamus Reincken.**

## Admonitio.

---

Si quis fortè ignoraverit, quidnam simplex X sibi velit is sicut [sciat] tremul. significare, qui infernè, tonum feriat: quemadmodum hae duae || tremul. notant, qui supernè tonum contingit. Praeterea quemvis artis nostrae cultorem amicissimè monitum velim, ut, ubicunque reperiat Adagio, aut Presto aut Allegro, probe illa observet, insuper animadvertat, non pati hoc genus laboris, ut multa accinantur, quae hîc non sunt expressa; alias enim subjecta, quod par est, accuratè satis percipi auribus non poterunt.

